

infestarentur, frequenter in Almaniam Ytali et in Ytaliam Almani profisciscerentur, nec in orienti res ulla esset humane vite necessaria, que non transiret in occidentem, nec rursus mercimonia sua negarent eo ipso occidentales fieretque unum totius orbis corpus dulceque ac delectabile foret nunc illam regionem nunc istam visere. Nempe si tutior ad vos fuisset accessus, iamdudum ego Bohemiam petivissem famosamque illam totiusque Germanie principem urbem Pragam, templa, domos, arces, pontes, universitatem et homines ritusque gentis contemplatus fuisset. Sed horrenda latronum iniquitas nedum michi, sed meis etiam litteris precludit aditum nec vel Tuschkonem / vel Schindel vel alium quemvis amicum me scriptis alloqui sinit. Utinam meas inciderent manus! Non vererer irregularitatem, nam que maior est pietas quam impium plectere, que maior iustitia quam iniustum punire, que maior innocentia quam nocentum obviare conatibus? Nempe nulla victima deo acceptior, nulla hostia gratior, nullum sacrificium iocundius est, quam cum sotes supplicio dantur aut vel in rota vel in cruce affliguntur (*so Hs.*, affiguntur?). Sed mitto hec, ne feras tu, oro, iniquo animo, si prius tibi non egi grates. Non enim mea negligentia fuit, sed latronum culpa. Tu iam *nostri*⁴¹ *qui sim*. Scis me tuum esse paratum in quovis loco tuis obsequi iussibus, tuam utilitatem querere, tuum honorem augere, tuis voluptatibus inservire, tuis desideriis morem gerere. Si me non uteris, tibi, non michi ascribas. Iohanni Schindel eleganti patri me commendatum facito. Et quando superest tempus, ad me nonnichil scribito. Vale optime etc.

2

Eneas Silvius Piccolomini dankt dem Prager Magister Peter (von Mlad[i]onowitz) für einen Brief und die Übersendung eines Codex mit Homilien, dessen alte und ungewohnte Schrift, die zunächst Probleme bereitete, mittlerweile von ihm mühelos gelesen werde; der Wunsch des Absenders sei bereits erfüllt; verwahrt sich gegen das Lob seiner literarischen Leistungen.

(erste Hälfte des Jahres 1446)

SLUB Dresden, Mscr. Dresd. F.172.c, fol. 71v–72r.

Magistro Petro collegiato Pragensi.

41) Vgl. Terenz, *Adelphoe* 177: *nostin qui sim?*